


63

T E R R I T O R I V M
P E R V S I N V M.

Perusia.



Perusia à Cortona xx millibus passuum versus orientem solem sita, urbs est antiquissima, Livio, Straboni, Vellejo, Plinio, Ptolemæo aliisque scriptoribus antiquis memorata. Ptolemæo & Dion

latinâ formatione Græcis litteris est *περουσία*. at Diodoro, Appiano, ac Procopio simplici vocali scribitur *περουσία*. dictum etiam fuit Perusium. Hodie urbs vulgo incolis vocatur *Perugia*. Opidani inde olim omnibus pariter Latinis autoribus dicuntur *Perusini*. Perusiam dictam alii volunt à Perusio Trojano, alii à Perseo. Iustinus originem ejus ab Achæis ducit. At à Pelasgis Perusiam quoque, cum reliquis Græcis Etruriæ urbibus fuisse conditam, haud dubium est. Hinc etiam in XII principum Etruriæ urbium numero posita fuit. Tanta ejus est antiquitas, ut longè ante Trojanum bellum ab Umbris condita fuisse credatur, mox à Pelasgis, ac tandem à Tuscis habitata. Magnus quoque ejus antiquissimis temporibus fuit splendor, dignitas ac potentia. Nobilitata postmodum maximè fuit, quum ab Octavio Augusto obsideretur, famis & incendii calamitate. Antonius enim pulsus undique viribus Cæsaris, Perusiam se contulerat. Vfus Cæsar virtute & fortuna sua Perusiam expugnavit; compulitque ad extrema deditio- nis turpi & nihil non experta fame. Antonium inviolatum dimisit. in Perusinos magis irâ militum, quam voluntate sævitum ducis. Vrbs incensa, cujus initium incendii princeps loci ejus fecit Macedonicus, qui subjecto rebus ac penatibus suis igni, transfixum se gladio flammæ intulit. Restitutam tamen à Cæsare testantur literæ cubitales portis incisæ. Vrbs ipsa colli insidet Apennini: natura loci permunita. Aedificia habet cum publica, tum privata, valde nobilia, ampla, excelsa. Turribus est plena; ex quarum nulla cognosci tota prospectu potest; quod commune illi cum Urbino. Fora sunt bina; *Rotundum & Rimenum*: In Rotundo Fons est, & Palatium. In Ecclesiæ Cathedralis Sacratio S. Lucæ Evangelium est in cortice scriptum, aureis litteris; & D. *Herculani* monumentum, Martyris & Episcopi; cujus se ossa servare perhibent cives, uti & *Benedicti* XI P. M. Beatæque *Columbæ*. Episcopatus gaudet titulo. In fundamentis aedificiorum, quæ à Pontifice diruta, repertum est *Vulcani Templum*, cujus apud Appianum lib. v fit mentio. Alii volunt eo loco fuisse, ubi nunc D.

Situs.
Aedificia.

Turres.

Fora.

Templum
primarium.

Episcopatus.

Vulcani
Templum.

Italia.

Angeli Aedes, sub cujus altari majore saxum antiquum visitur, Romanis litteris incisum. Verba adscribam, quod ea Patronum *Perusinarum* præferant:

C. VIBIO. C. F. L. N. TRO
GALLO. PROCULEIANO
PATRONO PERUSINORVM
PATRONO. ET. CVRATORI. R. P. VET
TONENSIVM. IVDICI. DE. V. DEC. AEDI
LI. PATRONO. COLLEGI. CENTON
VIBIVS. VELDVMIANVS
AVO. KARISSIMO. OB CVIVS
DEDICATIONEM. DEDIT
DE CVRIONIB. * II. PLEBI. * I.
L. D. D. D

In latere.

DEDIC. IDIB. IVL.
IMP. M. AVRELIO. ANTONINO. AVG. PIO. FEL. II.

Alter Versus sub Terra laeset, vel erasus est.

Incolæ, quorum mediocris est frequentia, animis ingenisque sunt summi; non minus ad litteras, quam arma prompti. *Perugini superbi, & buoni soldati, & la miglior spada del Papa.* De Rebus, quæ ad hanc Urbem olim, vel ab ejus incolis, gesta, legendi Livius cum aliis locis, tum lib. VI, IX, X, XXVIII, CXXV, & sequent. Appianus lib. v Bellor. Civilium, Florus lib. IV Histor. Romanæ, cap. VII, Eutropius lib. VII, Orosius lib. V, cap. XVI, Suetonius in Octaviano Augusto cap. XVI, & seq. Plinius lib. VII, cap. XLV, Solinus cap. III, & Propertius lib. II, Elegia I. Inter omnes Italiae urbes felicitatem scribitur à Blondo nacta fere inauditam: quod eandem pæne status & rerum conditionem, quæ ante Romam conditam, & postea sub Regibus, Coss. Imperatoribus fuit, usque in hunc diem retineat: varias tamen sæpius difficultates & calamitates experta; & tam ab externis, Gothis nimirum, Duce Totila, (consulendus Procopius lib. III de bello Gothico) Langbardis, & aliis passa; quam civilibus conturbata factionibus, præsertim *Raspartium Gibellinorum & Nobilium Guelphorum*, Legendus omnino Leander Albertus. Hodie in Pontificis Romani est ditio, arce, quam *Citadellam* vocant, accepta: cui emolendæ opera per cives est communicata, nemine in calce lapidibusque portandis immuni; sacris & profanis aedibus disjectis, ut in utrumque forum pateret. Administratur Iustitia à Pontificis Governatore; cui XII ex civium primorum numero, qualicumque libertatis specie, adjunguntur; habitantes apud S. Laurentium. Academia *Perusina* circa annum MDCCXC florere cœpit; iisdem ornata privilegiis, quæ in l. unica. C. de Professorib. qui in urbe Constantinop. docent, Constanti-

Incolæ.

Res gestæ.

Magistratus.

Academia.